



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 100. Pauli Cortesii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. tu agendum, sententias rogabat. O-
A C. 1526. mnium una vox erat, Ludovicum ejus-
 que socios comprehendendos, ac carce-
 ri dandos esse; verum hi tempestive
 fuga elapsi sese ad Eremum Cryptarum
 receperunt. Cum autem nec ibi a Pro-
 vincialis infestationibus liberi ac tuti
 essent, ad Legatum Apostolicum provo-
 cabant, qui fratri Ludovico potenter
 patrocinabatur, graviter commotus,
 quod ipsemet a Provinciali tam nequi-
 ter delusus fuisset. Nec tamen pro-
 pterea vexationum finis erat.

§. C.

Pauli Cortesii obitus.

Dupin. Bibl. des Aut. du XVI. Siecle tom. 14. p. 116. **H**oc anno salutis millesimo quingente-
 simo vigesimo sexto Respublica li-
 teraria plurium Scriptorum Ecclesiasti-
 corum mortem luxerat, atque inter eos
 primus erat Paulus Cortesius natione
 Italus & Protonotarius. Ignoratur e-
 quidem certa obitus sui dies, id tamen
 perspectum habemus, quod sub Pontifi-
 catu Julii II. floruerit, eidemque libros
 suos nuncupaverit. Merito ceterorum
 primus habetur, qui in quatuor volu-
 minibus, quæ in libros sententiarum e-
 lucubraverat, quæstiones majori purita-
 te, ac stylo elegantiori usus est; An-
 no Christi millesimo quingentesimo qua-
 drage-

dragesimo Rhenanus hosce libros typis Sæcul. XVI.
A.C. 1526.
excudi curavit, testaturque in sua præ-
fatione, illud esse opus, in quo an styli
elegantiam magis quam ingenium vix
non divinum admirari fas esset, suspen-
sus hæreret; diversæ enim Theologo-
rum opiniones a doctissimo hocce Viro
paucis quidem verbis, sed mira clarita-
te ac perspicacitate fuerunt expositæ.
Ceterum quæstiones, ordinemque Petri
Lombardi sequitur, ac succincta metho-
do ad quamlibet quæstionem Patrum
& Theologorum sententias revocat, ter-
minos tamen adhibet ceteroquin Theo-
logis minus usitatos; studiose enim ver-
ba, quæ a latini sermonis puritate a-
liena sunt, declinare nitebatur. Por-
ro Rhenanus hanc Cortesii elucubra-
tionem tanti habuit, ut Parisiensem U-
niversitatem hortaretur, quatenus illius
Auctorem ob rara ejusdem merita Sor-
bonnæ Doctoribus aggregaret.

Aliud insuper opus posteritati reli-
quit Paulus Cortesius; scripsit enim
tractatum de dignitate Cardinalium,
quem itidem Julio II. summo Pontifici
nuncupavit, Simon vero Nardius Se-
nensis in arce Cortesiana Anno quin-
gentesimo decimo supra millesimum pu-
blici juris fuit; Attamen ex tribus li-
bris, quos hic tractatus complectitur,
non nisi postremus de Cardinalibus a-
git;

Sæcul. XVI.
A. C. 1526.

git; reliqui enim duo locorum communium collectionem complectuntur; de cetero autem hoc opus minori eloquentia elaboratum est, quam liber, quem in Lombardi sententias conscripsit. In eo Auctor de Cardinalium reeditibus, eorum ædibus, ac domesticis differit; tractat quoque de illorum vivendi norma, de affectibus, quibus agitari solent, necnon de sermonibus, quos habere deberent: in pertractando tamen hoc argumento tam late excurrit, ut ejus oratio non minus ad Cardinales, quam ad ceteros quoscunque spectare videatur. In tertio libro propugnat, quod Ecclesiæ Status ex summo Pontifice, & Cardinalibus compositus ceteris omnibus perfectione præstet, majorque sit Sacri Collegii potestas, quam totius Corporis Ecclesiastici; insuper ibidem agit de Cardinalium officiis, prærogativis, legationibus, & de auctoritate, quæ illis tam vivente Papa, quam Sede vacante competit; tractat etiam de Sanctorum Canonisatione, indulgentiis, ac dispensationibus. Ubi autem de electione Pontificis differit, prolixo sermone discutit, an Papa a Deo seligi debeat, utrum illius electio ad solos Cardinales pertineat, ac denique, an deficiente Purpuratorum Collegio ejus electio ad Generale Concilium devolvatur? Nec
 silentio

filentio præterit caussas, ob quas summi Pontificis electio nulla declarari valeat: Describit etiam Sanctiorem Patrum Senatum, agit quoque de rebus ibidem pertractandis, de Simonia, de Ordinum Religiosorum Protectoribus, necnon de Conciliis, schismate, ac hæresi; ultimo tandem recenset quædam monita, quæ summo Pontifici suggerenda essent.

Sæcul XVI.

A. C. 1526.

§. CI.

Christophori Marcelli mors.

Referunt nonnulli hoc item anno Christophorum Marcellum vivis fuisse ereptum. Is erat Venetæ Reipublicæ Senator, postea vero Corcyrensis Archiepiscopus. Reliquit posteris quædam ingenii sui monumenta, inter quæ potissimum recensentur tres libri de ritibus & Cæremoniis Ecclesiæ Anno millesimo quingentesimo decimo sexto Venetis literis excusi; prodiit etiam Florentiæ anno Christi quingentesimo vigesimo primo supra millesimum tractatus de auctoritate Pontificis, quem Auctor Concilio superiorem affirmat. Scripsit denique commentarium in septem Psalmos Romæ impressum Anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio. Huic equidem subungi posset sermo,

Dupin. ibid.

p. 131.

mo,